



No 369 - App XIV

16
DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE
PRAESTANTIA
TOPICORVM
IN PLEVITIDE CVRANDA.

QVAM
FAVENTE SVMMO NVMINE
CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
PRAESIDE
VIRO EXCELLENTISSIMO EXPERIENTISSIMO DOCTISSIMO
DN. FRID. CHRIST. IVNCKERO
PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORE
HVIVSQVE PROFESSORE PVBL. ORDIN. PAEDAGOGII REGII
AC ORPHANOTROPHEI HALENS. MEDICO
PRACTICO CONSTITVTO

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA
PRO
GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS
MORE MAIORVM RITE OBTINENDIS

D. OCTOB. A. S. R. MDCCLXII.
PLACIDAE ERVDITORVM DISQVISIONI SVBMITTIT

AVCTOR
LVDOVICVS GEORGIVS IOSEPHVS DERN.
BIPONTINVS.

HALAE AD SALAM
AERE SCHNEIDERIANO.

Ha the

UNIVERSITÄT
FRANZSTADT
T O P I C O R U M
IN THEATRO CYCLOP
VON FRIEDRICH CHRISTOPH
HILF
IN ALMA MATER
GRATIA DOCT
LIVRE EN GROS
1714



§. I.



Medicina interna et externa arctissimo combinatur nexu, et nullo modo separari potest ac debet. Iam diu Viri prudentes cognouerunt, quod curationes externae seu chirurgicae minus feliciter peragentur, nisi simul conueniens medela interna adhibeatur. Non minus etiam existunt haud pauci morbi interni, quorum curationes per congruam complicationem remediorum *topicorum* *) multo

A 2

ma-

*) Vocabulum *topici* satis cognitum est, et omnia, quae certis locis corporis humani exterius applicantur sub se complectitur; hinc quaeuis remedia, siue ea consistunt in applicatione externa variorum instrumentorum chirurgicorum, siue in turundis, iniectionibus, emplastris, vnguentis, aliisque medicamentorum formis, si modo extrinsecus adhibentur, ad topica referri debent.

magis, quam vulgo putatur, promouentur. Exemplum vltimae huius assertionis praebet *Pleuritis*, in qua curanda multum sane praestant topica circumspēcte in vsum vocata; quippe non solum magnum aegrotantium leuamen, verum quoque leuiorem ac celeriore morbi decursum saepius obseruauit, quando externa remedia cum internis rite fuerint coniuncta: quare non absque vtilitate fore existimo, si his paginis vberiore huius veritatis explicationem dabo. Faxit Deus feliciter.

§. II.

Nemo non facile intelligit, qui genuinis artis medicae principiis imbutus est, cognitionem morbi plenariam, causam felicis curationis esse sine qua non: qua propter necessarium fore iudico, vt ea de indole *Pleuritidis* praemittam, quae sufficiunt ad indicationes rite inde deducendas, ex quibus postea indicata, et quidem tam remedia interna, quam topica, eorumque praestantia facile intelligi poterunt. *Pleuritis* itaque adesse dicitur, quando aeger laborat febre continua, ob inflammationes in succingente costas membrana ac musculis

sculis illi continuis contingentes, cum pulsu duro, dolore acuto, punctorio, in inspiratu valide aucto, in exspiratu vel animae retentione leniori, mitiori pariter, vbi respiratio, immoto thorace, maxime ope abdominis fit *). Equidem de parte inflammata Medici nondum plane inter se conueniunt: multi solam pleuram admittunt, alii illam simul cum musculis intercostalibus statuunt, nonnulli volunt pulmonem semper vna cum pleura inflammari. Ast omnibus argumentis studiose inter se computatis, statuo cum celeberr. BOERHAAVIO **) non solum totam pleuram, ideoque anteriorem, posteriorem, dextram, sinistram, superiorem, inferiorem, exteriorem et profundiore, praesertim tamen latera, hoc morbo affligi, verum etiam musculos intercostales tam internos, quam externos, eodem malo occupari. Pleura vero inflammata simul semper pulmonem istius lateris inflammari,

A 3

con-

*) Quod haec definitio, potissimum Boerhaauiana, omni respectu adaequata fit, prolixè illustrauit Perillust. van SWIETEN in *Commentariis aphor.* 875.

**) In *aphorismis de cognoscendis et curandis morbis, aphorism.* 877.

concedi nequit, ***)) quippe haec assertio certissimis argumentis ex anatome practica refutatur; sed lubens largior pleuritidem frequenter cum peripneumonia, aut vicissim peripneumoniam cum pleuritide coniunctam occurrere: cui coniunctioni denotandae nomina *pleuripneumoniae* et *peripneumopleuritidis* ex cogitata sunt.

§. III.

Notatu dignissima quoque est differentia ipsius Pleuritidis in *veram* et *spuriam*, quare ad eius declarationem progredior, eamque paullo accuratius, quam in scriptis relatam legimus, rimabor. Differt ergo haec duplex pleuritis primo intuitu frequentiae et infrequentiae, *spuria* enim ad morbos quotidie obuenientes pertinet, *vera* autem rarissime obseruatur: altera quae vtramque intercedit pleuritidem differentia, desumenda est a loco, in quo contingit; nam *vera* habet sedem in membrana costas interne succingente et plerumque in mammilla lateris dextri fixum dolorem exercet, *spuria*

***)) De hac controuersia omnium optime differuit COSCHWITZIVS in *dissertat. de pleuritidis verae et peripneumoniae differentiis*, Halae 1724.

Spuria autem musculos intercostales et his superiora occupat, doloresque magis inconstantes, vagos, potissimum in latere sinistro circa costas spurias inducit: porro ipse dolorum gradus fundamentum differentiae constituit; maior nimirum vehementia dolorum in *vera* quam *Spuria* sentitur et accusatur, quia pleura musculis intercostalibus longe sensibilibior deprehenditur, exemploque aliarum membranarum periostei, pericranii, meningum grauissimis afficitur doloribus, prae aliis partibus tali expansioni non subiectis: speciale quoque indicium in pleuritide *Spuria* existit, quod leuiore pressione ventriculi hi dolores valdopere exacerbentur: postea magnum etiam discrimen ante oculos ponit habitus externus; dum *vera* laborantes florent ac rubent, *Spuria* contra afflicti cachecticam faciem praebent, tunicam oculorum albam debili flauedine impraegnatam, integrumque thoracem ex albo flauescentem repraesentant: denique signum discretionis non exiguum febris pleuritica diuersa exhibet; *vera* scilicet vehementior, per integrum septenarium semper se extendens, cum pulsu ad-

admodum duro *), saepiusque intermittente; *spuria* contra obseruatur debilior, tertio vel quarto die remittens, cum pulsu magis pleno ac vndoso: tandem argumentum discriminis ab excretis in vtraque pleuritide diuersis peti potest; quippe in *vera* in initio sputa pauca, maxime diluta, raro striis sanguinis mixta **) cum tussi admodum breui ac dolorifica eiiciuntur, vrina mingitur rutilans, faeces excernuntur rite tinctae, ast in *spuria* sputa plura, crassiora minore difficultate exscreantur: (quamquam materia peccans pleuritidis spuriae per sputa proprie non expurgatur): vrina est crocea, excrementa non sufficiente modo colorata, quandoquidem alba expelluntur. Pro felicissimo autem signo in vtraque pleuritide habetur, quando dolor humerum, scapulas et dorsum occupat. Singula ventilata docent, rationem diuersae pleuritidis speciei utique esse habendam.

§. IV.

*) Pulsus in hoc morbo celer et frequens est cum insigni duritie, vnde etiam ferrati nomen accepit. Vid. SCHULTZII *pathologia. specialis pag. 81.*

**) Multis fuit difficile captu quomodo per sputa ex pulmone proceduntia pleuritis solui possit; sed a posteriori docet experientia pleuritidem

§. IV.

Deuoluoꝛ nunc ad caussarum breuem delineationem, in quibus igitur inuestigandis communi Medicorum consensu asserere licet, quod in vtraque pleuritide stasis inflammatoria tamquam causa *proxima* assumenda sit; eo tamen discrimine, vt in vera pleurae, in spuria autem musculis intercostalibus stasis inhaereat. Fuerunt quidem qui stasin in pleura conceptu difficilem putauerunt, verum enim vero quamquam pleura vbique costis et musculis intercostalibus internis coëxtensa et adnexa sit, tamen haec membrana in tantum, vi nimirum thoraci illata, separari potest, quantum ad extravasationem et stasin sanguinis requiritur. Ad quem morbosum effectum minima et tantummodo talis pleurae auulsio concipi debet, quae sufficit, vt portiuncula sanguinis e vasculo quodam aperto effluere possit, quae coagulationi in stasin subiicitur, vltioremque sanguinis progressum ibidem impedire valeat. Et cum pleura sit membrana val-

B

de

ritidem veram per crebriorem sputorum fluxum mitigari, et a priori Perillust. VAN SWIETEN in *Commentariis aphorism. 888.* doctam ac solidam difficultatum remotionem exhibuit.

de vasculosa, sicuti anatome docet, ita haec vasa sanguinea, praesertim venae azygae*), facile constringuntur, effusioque sanguinis in stasim sequitur. Quod autem pleuritidem spuriam attinet, stasis in musculis intercostalibus, tamquam proxima morbi causa, multo adhuc facilius contingit, quoties nempe sanguis impetuose et copiose versus has partes angustatur; quemadmodum in genere cognitum est, partes musculosas data occasione ad subeundas inflammationes admodum esse pronas.

§. V.

Digredior vero ad causas *remotas* utriusque affectui pleuritico familiaria. Inter has imprimis numerari meretur rigida strictura fibrarum pleurae membranoso-neruearum, quae in hac parte, maxima sensibilitate gaudente, ex quacunque irritatione subito oritur: porro quaeuis excretiones anotericae fortiores, sanguis abundans commotus, aetas
iuue-

*) Conf. LANGISII *dissert. de vena sine pari* et potissimum LOESCHERI *dissert. sistentem Mechanismum venae azygae pleuritidis causam. Vitembergae 1724.*

iuuenilis, ebrietas *), omnesque in corpore humano mutationes, quae humores ad pectus vergunt: denique crebrae tempestatum vicissitudines, et praesertim refrigerationes, huic morbo frequentissimam ansam suppeditant. Quemadmodum enim Sydenham in genere de aura frigidiuscula putat, illa plures homines perire, quam peste, gladio et fame; ita saltem fida experientia comprobatum est, pleuritidem saepissime inde ortum ducere, imprimis si frigidus spiritus ascendendo montes trahitur, quare in regionibus montosis, dorsuosis et iugocliuosis hic morbus endemius obseruatur. Tandem silentio minime praetereundum erit, in pleuritide spuria singularem dyscrasiam sanguinis biliosam plerumque concurrere, quam symptomata paragrafo praecedente allegata satis indicant, et hinc haec pleuritidis species quoque pleuritis *biliosa* vocari potest.

B 2

§. VI.

*) Celeb. TRILLERVS in tract. de pleuritide pag. 4. obseruasse testatur, frequentissimas et acerrimas pleuritides illis accidere, qui potui spirituosiori, praesertim vini spiritui, plus iusto per vitam sunt affueti.

§. VI.

His necessariis de indole pleuritidis praemissis statim ad praestantiam remediorum topicorum in illa curanda demonstrandam accedo. Haec praestantia topicorum formatione indicationum et indicatorum optime patebit, dum de causis pleuritidis docere valebo, eas non solum remedia externa ad remotionem sui requirere, sed etiam illas istis actu remoueri. Priusquam tamen hanc specialem investigationem aggredior, nonnulla momenta generaliora, egregium effectum topicorum in pleuritide illustrantia, hic sisto. Primo antiquissima medicina methodum hunc morbum curandi constituit in applicatione remediorum externa ad locum dolentem, quemadmodum certissima suffragia probant *). Deinde ponderosum argumentum efficaciam horum remediorum denotans praebet consideratio, quod pleuritis sit morbus integumentorum externorum thoracis, vti antea in explicanda hujus mali sede §. II. demonstraui: jam in genere nullo dubio constat, externa remedia eo fortio-
ope-

*) Vid. Perill. van SWIETEN in *Comment. aphorism. 890.*

operationem edere, quo proximius locum affectum attingunt, quidni ergo thoraci applicata, in tanta vicinitate musculorum intercostalium et pleurae, praestabunt? Non minus arduum momentum subministrat, quod actio topicorum certa et evidens fit, quia immutata partium suarum constitutiuarum virtute agere valeant, quum ex contraria parte medicamina interna, tam longo per stomachum et vasa ad pectus itinere, valdopere mutantur, ideoque multo debiliorem efficaciam exhibeant. Grauiissimum quoque fundamentum praestantia topicorum sistit penetratio medicamentorum subtiliorum non solum per poros, verum etiam per vasa resorbentia **); quippe nouissimae observationes anatomicae satis docuerunt, in quavis regione corporis exteriori ejusmodi vasa imbibentia esse obuia. Harum itaque viarum ope particulae medicamentosae

B 3

inte-

***) Conferri meretur DN. HOLTZII *dissert. de balneis infantum*, in qua plura de existentia vasorum resorbentium docte disputata leguntur, ex quibus tantummodo sequentia verba allegabo: *his, qui transitum omnium medicamentorum per inorganicos, quos vocant, cutis poros statuunt, contrariae sunt frequentissimae illae observationes, in quibus Mercurius, frictionis ope intrusus, in dentium radicibus, intimisque ossium medullis fuit repertus.*

integumentis communibus immediate superstructas partes facile aggredi possunt ***). Denique topica generatim laudari merentur, quia lateri dolenti applicata faciunt, vt remedia interna ad locum affectum determinantur ****).

§. VII.

Ipsam nunc methodum medendi seu constitutionem indicationum et indicatorum subeo; qua ipsa inuestigatione praestantiam topicorum in curatione pleuritidis extra omne dubium ponam. Cum vero externorum remediorum laudes dicere animus est, eo ipso internorum medicamentorum neglectum nullo modo concedo, sicuti generatim vnus positio non est alterius negatio, sed topica commendando simul internorum artis praesidiorum combinationem tamquam vtilem suadeo, et vtpote abso-

***) Plura huc facientia de modo operandi topicorum doctissime explicauit D. IOACHIM FRID. HENCKEL in der *Abhandlung von der Würckung der äusserlichen Artzeneyen.* Berlin 1761.

****) Perill. van SWIETEN l. c. aphorism. 134. probauit, omnia illa, quae laxando vasa minuunt resistantiam liquidis impulsis in loco quodam corporis, determinare remediorum assumptorum efficaciam ad eundem locum.

absolute necessariam in sequentibus simul adducam. Me ergo iudice felix pleuritidis medicatio ad sequentes indicationes reduci potest; 1. Stasis inflammatoria est resoluenda, 2. Spastica rigiditas partium exposcit emollientia, 3. Dolores sunt mitigandi, 4. Orgasmus febrilis temperetur, 5. Humores a pectore reuellantur, 6. Sputamina promoueantur, 7. Suppuratio prudenter dirigenda est. Igitur perpendendum venit, quomodo his indicationibus satisfieri possit.

§. VIII.

Resolutio staseos utique est primaria indicatio, distincte enim §. IV. indicaui, eam esse causam pleuritidis proximam; hinc omnem operam eo impendere oportet, ut prae omnibus aliis sanguinis discussio obtineatur. Interne itaque stasin inflammatoriam discutunt diaphoretica fixa, Mixtura simplex parcius camphorata, Ess. alexiph. cui Ess. Scordii largius admixta, aut sola Ess. Pimpin. alb. cum aequali portione Ess. Scord. remixta, Cascarillata, salia alkalica parciore dosi propinata, Infusa et Decocta resoluentia ex rad. Vincetox. Helenij, Dictamn.

Dictamn. alb. Cichor. Taraxaci, Liquiritiae, Herb. Chaerefol. Geran. maj. Veron. Capill. ven. Hederae terrestres, Flor. bellid. Sem. Card. Mar., et in robustioribus praecipue Decoctum Arnicae cum teneris furculis Grossular. prodest.

§. IX.

E numero topicorum ad hanc primam indicationem absoluendam faciunt imprimis frictions, ita instituendae, vt secundum ductum musculorum intercostalium, a sterno incipiendo ad spinam pergant, linteis vel panno molli calidis, quod non sine fructu obseruatur suscipi. Porro sanguinem coagulenscentem efficaciter resoluunt epithemata *) ex resoluentibus et discutientibus e. gr. rad. Irid. Florent. Sigill. Salom. Bryon. Acori, Aristoloch. Peucedan. Pyrethr. Herb. Hyssop. Abrotan. Sabin. Absynth.

*) DN. CRANTZ in *dissert. de Fractura ossium vt vulnus sananda Lips.* 1756. p. 20. *De modo vero, inquit, quo talia epithemata discutientia per integumenta, pinguedinem, musculosque, penetrant et in substratas partes agunt, multa proponere velle, a scopo alienum nunc esse puto; pro demonstrato tamen habeo, et tanquam stabilitum assumo principium, medicamenta quaelibet cuti applicata, pro suo modo in imas quasuis partes suam exercere posse virtutem.*

synth. Calaminth. Thym. Serpill. Salv. Thlasp. Flor. Agerat. Chamom. Sambuc. Schoenanth. Spic. Sem. Anif. Apii, Aneth. Coriandr. Bacc. Iunip. Laur. composita. Non minus salutariter cum linteis imponuntur Spir. discutientes, et resolutioni aptiores sunt, qui ab herbis cathartice abstrahuntur, vt rosis, Lil. conuall. Pariter discutiente simulque anodyna virtute laudandus venit crocus, cataplasmatibus pultiformibus immixtus et lateri dolenti impositus. Neque spernendum auxilium praestat Spiritus falsis ammoniaci, oleo quodam commixtus, et in linimenti formam inductus **). Saepius etiam pleuristici, docente LANCISIO ***) cucurbitulis supra latus scarificatis iuuantur. Tandem principatum fere obtinent camphorata, siue enim camphora spiritui vini immisceatur, siue cum Emplastris resoluentibus e. gr. de Ammoniaco vel Galbano, Diaphoretico Mynsichti malaxetur, semper praestantissimam discussionem exercet.

§. X.

Ad spasticam partium rigiditatem emolliendam,
C in

***) Conf. SEIVERT *dissert. de medicamentis resoluentibus praecipue topicis. Hulae 1743.*

****) *De nativis atque adventitiis romani coeli qualitatibus p. 142. §. 20.*

interne quidem hordeacea, auenacea et similia decocta relaxantia, nec non Ptisanæ, syrupis dulcibus leniter imprægnatæ fructuose adhiberi possunt, topica tamen principalem effectum edunt: tensionem nimirum leniunt sem. Lini, Cydonior. Pſyll. Rad. Lil. alb. Alth. Herb. Branc. Vrsin. Parietar. Flor. Verbasc. Linar. cum pane similagineo vel lacte vel aqua cocta atque in formam cataplasmatidis redacta: quibus addi possunt ficus, item pinguedines anseris, gallinae, anatis, ac olea per infusionem parata e. gr. Lil. albor. Chamom. Verbasc. Frequenter usus fuit Perill. van SWIETEN saponem veneto in aquae et lactis dulcis partibus aequalibus; vel etiam suadet in Decocto emolliente saponem diluere, sumendo vnciam mediam ad singulas libras liquidi diluentis, et huic solutioni pannos laneos immergere, illosque lateri dolenti imponere. In genere autem circa haec fomenta monendum erit, quod non solum calida imponenda sint, sed etiam cauendum, ne refrigescant. Si vero fomentorum apparatus molestus fit, eorum loco vnguenta emollientia substitui possunt.

§. XI.

§. XI.

Dolorum mitigationem potissimum efflagitant misere adflicti aegrotantes: vbi igitur dolores acuti insolescunt et vrgent, prudens securorum anodynorum vsus locum habet; validioribus autem soporiferis dolores sopire, teste celeb. van SWIETEN *), pessima inducit confectaria. Ad mitigandum itaque, non vero ad tollendum dolorem, et quidem felicius in incremento morbi, quam circa statum, leniora anodyna porriguntur. Nihil eum in finem securius et praestantius est semine Card. Mariae sub quacunque forma vsurpato; singularem quoque virtutem edunt flores papau. rhoead. et omnia quae inde parata prostant, adeo vt hinc pro specifico **): antipleuritico vulgo habentur. Nec non dolorum vehementia per granum vnum vel alterum mass. pil. e. Cynogloss. vel Theriac. coel. pulueribus diapnoi-

C 2

CO-

*) *In commentariis aphoris. 890.*

***) Plura apud Praeticos relata reperies specifica, quorum primaria putantur puluis de virga cerui, cruor hirci, stercus columbinum, oculi luciorum, sal hypericonis, secretum Ducis Urbini ex oleo feminis lini et rasura dentis apri, fuligo camini; sed singula promissis virtutibus haud fidem faciunt, et nonnulla plane noxia obseruantur.

co-temperantibus commixtum, versus somnum propinatum mitigatur, quam mitigationem etiam cinnabarina, quamvis non tam sensibiliter, praestant.

§. XII.

Eo tempore, quo §. antecedente ordinata introsumuntur, foris dolores quoque demulcendi sunt. Eum in finem conducunt linimenta ex oleis e. g. liliiorum, alborum, verbasci, chamaemeli, anethi, lauri, irini, oleo antipleuritico Petri a Castro *) pauca portione olei Hyoscyami et pinguedine muris montani composita; deinde utilia sunt unguenta de althaea simpl. et compositum, pectorale, populeum, anodynum; porro applicari possunt emplastra diachylum simplex et compositum, filii zachariae et de hyoscyamo: nec non iuuare laudantur cataplasmata et fomenta ex emollientibus et anodynis. Quae singula pro statu morbi, diuersitate dolorum, aliisque circumstantiis combinari, variari et omitti possunt et debent **).

§. XIII.

*) A. N. L. dec. I. a. I. obseru. 10.

***) Serio autem cauendum esse moneo, ne neque nimis diu, neque incongruo tempore vsui anodynorum et emollientium topicorum indul-

§. XIII.

Aestus febrilis, qui est in sanguine, omnino temperantia requirit. Prospiciunt vero febri diluentia, nempe decocta rad. cichor. scorzon. acetos. C. C. eboris, aliarumque vegetabilium non adeo fastidiosarum, nec non tincturae temperantes flor. papau. rhoead. bellid. tunic. rofar. porro potiones, iulapia et emulsiones ex feminibus quatuor frigidis maior. citri, aquilegiae, syrup. papau. rh. acetos. citri, rob. cydon. rib. berb. ceras. acid. item ostrocodermata acidulata e. g. ocul. cancr. acidulat. conch. citrat. testae ouorum tartarissat. praecipue

C 3

vero

indulgeamus: memores enim in curanda pleuritide nos semper esse oportet, principalem medelam in remotione staseos sanguineae consistere §. VIII. ideoque symptomatum mitigationem tamquam parergon angustioribus circumscribi limitibus. Hanc rem probe inculcauit. B. HOFFMANNVS in *dissert. de erroribus vulgaribus circa vsum topicorum in praxi. Halae 1703. dum §. XIV. ita disserit: Peruoluimur jam ad thoracis affectus, in quibus topicis sua quoque laus et dignitas constat, sicuti et non paruus eorum in praxi medica deprehenditur abusus. Exemplum nobis praebent tumores illi inflammatorii, qui pleuritidis et peripneumoniae nomine efferuntur. Quid autem vfatius est, quam in iis ipsis ad dolorem compefcendum pinguia oleosa unguenta praescribere exterius? Rarius autem ex iis secutum vidi bonum effectum: potius, cum discutientibus debitis dissipari malum potuisset, discussionem impediunt et morbum ad suppurationem disponunt.*

vero ad febrem pleuriticam moderandam laudari merentur remedia nitrosa, primis tamen diebus frequentius, post quartum parcius exhibenda. Externe conducunt enemata antiphlogistica et epicarpia refrigerantia.

§. XIV.

Magnum etiam felicitis curationis absoluit momentum conueniens humorum a pectore reuulsio; quia enim tempestiua staseos discussio a copioso et impetuoso sanguinis accessu impeditur, ratio sane quaeuis remedia reuellentia suadet. Idcirco omnibus aliis palmam praeripit venaesectione larga statim in initio morbi instituenda; sicuti etiam experientia confirmat, qua certiores reddimur, venaesectionem in pleuritide, praecipue vera, omissam, ordinarie infelicem post se trahere euentum *); quando autem venaesectione in principio mali praetermissa est, tunc in sequentibus diebus non nisi vrgente necessitate suscipi debet; si autem impetus febrilis eandem tamen exposcit, toties postea repetenda venit, quoties

*) Eo abit. SYDENHAM vt vnicam pleuritidis curam in venaesectione tempestiua positam esse affirmet.

ties nouus insultus eandem efflagitat**). Alia reuel-
lencia e. g. frictions, ligaturae, sinapismi, adpli-
cari quoque possunt in partibus remotis; prima-
rium vero reuulsionis negotium semper absoluit
sanguinis missio e venis, quia haec simul febrem
reddit mitiorem.

§. XV.

Quandoquidem in hoc morbo tollendo quo-
que sputaminum promotio indicatur. Nam adest
in pleuritide copiosior adfluxus humorum ad pectus,
hinc materiae mucosae secretio augetur, ideoque
necesse est, vt excretio sputorum augmentum ca-
piat, alias impuritates in pectore accumulatur;
praeterea supra iam annotaui, quod pars materiae
peccantis in hoc morbo vtique per sputa excreari
possit. Quare si sputa suppressa sunt, et dolores at-
que oppressio pectoris valde exacerbantur, iuuat
omnino expectorationem promouere. Hoc fiet
decoctis pectoralibus, quae partim ex discutienti-
bus, e. g. rad. helenii, irid. flor. tarax. tussilag.
herb.

***) Teste clariss. TRILLERO l. c. post repetitas sanguinis missiones
mitescunt symptomata grauiora febrilia et excretiones succedunt.

herb. erysim. hederæ terrestr. hyssop. marrub. alb. scord. sem. foenicul. anis, partim ex dulcibus pectoralibus e. g. rad. althæae, liquirit. malu. sem. foenugraec. amygdal. dulc. fic. iuiub. siliq. dulc. componi debent; quemadmodum eum in scopum decoctum pectorale Augustanor. in Dispensatoriis prostat. Praesertim vero ad promotionem sputorum laudantur vesicatoria, testibus BAGLIVIO *) MAYERNE **) MEADE ***) PRINGLE *****) TRIL-

*) in *Prax. med. Lib. I. Cap. IX.* praedicat vesicatoria tamquam summum remedium in pleuritide.

**) *de morbis internis. Syntagma prim. Cap. V. de Pleuritide.*

***) in *Medizinischen Erinnerungen und Lehren, teutsche Uebersetzung. Franckfurt am Mayn 1759. pag. 47. 48.*

*****) in *denen Betrachtungen über die Kranckheiten einer Armee, teutsche Uebersetzung. Altenburg. 1759. pag. 163.* sequentia consideratu et inquisitione digna momenta circa usum vesicatoriorum proponit: Ein grosses Blasenpflaster auf die bey der Pleurisie leidende Seite gelegt, ist das Heilmittel. Wenn dieses auf einen andern Ort geleyet würde, so könnte es stimuliren und die Kranckheit vermehren; da es aber gerade in den Theil wircket, so zertheilet es die Verstopfung, und schafft dadurch das Fieber weg. Diese Methode an den Seiten Blasen zu ziehen ist sehr alt, und wurde ehemals durch Seif Umschläge verrichtet.

TRILLER *****) qui illa in pleuritide curanda valdopere extollunt. Sed quamquam vesicatoria sua laude haud carent, promiscuo tamen illorum vsui subscribere abnego, et potius auctor suaeque sum, vt non prius adhibeantur, quam primo praemissa venesectione, et quidem sufficiente quantitate instituta, deinde impetu febris fracto, ac denique suffocatione ex suppressis sputaminibus imminente, illaque urgente. Sub his circumstantiis vel suris, vel scapulis, vel, quod optimum est, lateri dolenti fructuose applicantur, alias plus nocent, quam profunt, quidquid etiam patroni illorum in contrariam

D

par-

richtet. Vorietzo aber werden nur die Fliegen gebraucht, und diese Methode ist in England gemein worden. Eine Schwierigkeit bleibt wegen der Zeit übrig, ob es am besten sey, das Zugmittel im Anfange, oder nicht eher zu brauchen, als bis der Puls durch häufiges Aderlassen gelinder worden ist. Die Erfahrung beweget mich ein zeitiges Auslegen vorzuziehen; denn ich habe bey Besorgung einer grossen Anzahl Patienten in den auswärtigen Lazareten, von Auslegung des Blasenpflasters unmittelbar nach der ersten Aderlasse nichts wiedriges verspüret; sondern im Gegenmittel, eine iählingere und sichere Hülfe.

*****) Hic Auctor l. c. pag. 76. obseruauit, mulierem pleuriticam, contumaci alui fluxu fere exhaustam, omnis sensus expertem, ronchos sonoros e pectore ducendam, facie liuida et humida, cum pulso exili, tremulo, intermittente, vrina et faecibus clam elabentibus, ex ipsis orci faucibus ereptam esse, postquam bina praegrantia vesicatoria surae applicata fuissent.

partem proclament. Numerus et magnitudo vesicatoriorum differre debet pro subiectorum diuersa conditione. Semper autem oportet vesicam per morbi decursum et paullo post apertam seruare, ne affectus lateralis recrudescat.

§. XVI.

Sed non raro omnis labor ad stasin discutendam perperam adhibetur, et locus inflammatus nihilo minus abit in suppurationem. Hoc fieri cognoscimus ex aucto calore, crescente tumore, pertinacia doloris, tussis, febris ultra quartum diem, et absentia signorum resolutionis. Si ergo per dicta signa certi facti sumus inflammatum abscedere, tunc secundum BOERHAAVII*) consilium, locus ante dolens notus per caustica erodendus, vsque circiter ad pleuram incidendus, suppuratoriis apertus seruandus, vt materies extrorsum versa vi pulmonum a pleura caueat, ne fiat empyema: dein emolliendus, donec mundificatio facta sit. Singula in hoc consilio obuenientia momenta paucissimis verbis absoluiam. Erosionem causticam praestant cauteria potentialia, e. g. magnes arsenicalis, causticum indolens Zwingeri ex calce viua, minio et sapone nigro, nec non septicum suttorianum; sunt etiam

*) in aphorismis de cognoscendis et curandis morbis, aphor. 895.

etiam qui eum in finem fetacea **) laudant. Praesente pleuritide spuria incisio in musculos externos nullam inuoluit difficultatem, profundior vero sectio vsque circiter ad pleuram magna circumspeditione fieri debet, ne vasa intercostalia laedantur ***). Vulnus postea tractetur medicamentis suppurationem promouentibus e. g. Balsam. Arcaei vel unguento e vitello ouorum, conuassato cum terebinthina, cui parum mellis, et paucae guttae balsam. peruian. vel copaiu. admisceri possunt: superimpositis per interualla emollientibus, vtpote quae suppurationem etiam promouent. Impetrata suppuratione sufficiente, abscessus extrinsecus apertus mundificandus erit, vt artis praecepta requirunt.

§. XVII.

Ponamus autem apostema intrinsecus ruptum esse et empyema formasse, illico thoracis apertio in debito loco instituenda erit, vt pus commode per factum vulnus effluere possit. Hoc est vnicum salutis remedium, quod, licet sit anceps et ambiguum, tamen tentandum erit, et salua conscientia omitti nequit, quamquam saepius a Medicis ex falsa formidine negligitur. Ego itaque hanc operationem


**) conferri meretur BRENDÉLII *dissert. de phthiis et hēcticaeque discrimine, et fetaceorum utrobique usu.*

***) B. Iunckeri *consp. Chirurg. tab. LXXVIII.*

tionem, quam paracentesin thoracis vulgo vocant, consentientibus tot clarissimis et grauissimis omnis aevi Medicis, commendo atque suadeo, vt sub debita circumspectione et congruo modo instituat: suffragante in primis experientia, quod multi hoc auxilio ex proximo mortis discrimine erepti fuerint *); et, si rem, sicuti est, dicere licet, dubito, vnumquam aliquem ab ipsa operatione rite suscepta diem supremum obiisse, licet nullus negem, plures forsan post eandem, aut sub illa, ex debitarum cautelarum neglectione animam exspirasse. Meum igitur esset, singula ac omnia, quae ad hanc incisionem feliciter peragendam faciunt, sollicitè et distinctè suppeditare: verum enim vero angustae limites, quibus in praesente dissertatione edenda circumscriptus sum, hanc explicationem non permittunt, quare idcirco ad DN. PRAESIDEM *in dissert. de Phthisi interdum per operationem chirurgicam curanda, Hal. 1760.* prouoco, qui locum modumque operationis et omnes huc spectantes cautelas solide pertractauit.

T A N T V M!

*) vid. RIVERII *observat. Cent. I. obs. 19. p. m. 93. item Cent. II. obs. 75. p. m. 188. Der medicin. Versuche einer Ges. in Edinburg. V. Band 60. num. 823. und folg. Seite.*



Miscell. med. 98

